

RHETORICA

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649107995

Rhetorica by M. Tvlli Ciceronis & A. S. Wilkins

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

M. TVLLI CICERONIS & A. S. WILKINS

RHETORICA

5604 W
M. TVLLI CICERONIS

RHETORICA

RECOGNOVIT
BREVIQUE ADNOTATIONE CRITICA INSTRVXIT

A. S. WILKINS

LINGVAE LATINAE APVD MANCVNIENSIS PROFESSOR
E COLL. DIV. IOH. CANT.

TOMVS II
BRVTVS ORATOR
DE OPTIMO GENERE ORATORVM
PARTITIONES ORATORIAE TOPICA

118917
51.5 III

OXONII
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

PA
6294
A2
1902
t.2

OXONII

Excudebat Horatius Hart
Typographus academicus

PRAEFATIO

CICERONIS BRVTVM ex oculis hominum diu prorsus evanuisse satis notum est. Nam non nisi A. S. MCDXXII Laude Pompeia inventus est a Gerardo Landriano episcopo codex ille Laudensis, qui cum libros de Oratore integros, tum librum de claris oratoribus qui Brutus inscribitur, una cum Tulli Oratore qui ad Brutum scriptus erat continebat. Laudensis quidem ipse nescio quo casu mox periit neque quisquam post annum MCDXXVIII eum vidit: sed ex eo transcripti sunt plures, ex quibus manavit exemplarium satis magna copia. Horum vero unus optimus esse videtur quem sequamur:

F = cod. Florentinus Magliabecchianus 1. 1. 14. anno MCDXXII vel MCDXXIII exaratus, et fortasse ex ipso codice Laudensi transcriptus: olim Nicolai de Nicolis.

Neque vero multo deteriores sunt

B = cod. Ottobonianus 1552, a Flavio Blando satis festinanter exscriptus a nonis ad idus Octobres MCDXXII

O = cod. Ottobonianus 2057, ex archetypo Laudensi correctus MCDXXV

G = cod. Neapolitanus iv. B 43

H = cod. Neapolitanus iv. B 36

M = cod. Mutinensis vi. D 6

Ex his *FOG* magis inter se affines esse videntur, et *BHM* cognatione quadam artiore esse coniuncti: illis vero potius fides est habenda: neque parvi faciendae sunt correctiones in *O* (*O^s vetus*).

L = consensus codicum *FBOGHM*.

De codice (*D*) Parisino 7704, quem laudaverunt Orelli et Ellendt, non satis constat unde ductus sit. Sed lectiones hic illic non spernendas praebet. Venctum priorem utpote

PRAEFATIO

MCDXXXII exscriptum post perditum Laudensem vix tanti facere licet quanti fecit Ellendt, quamvis et mendorum paene sit immunis et antiquiores verborum formas saepius teneat.

In codicum lectionibus delegendis et exscribendis multo mihi usui erat editio Thomae Stangl; neque recensionem sprevi Gulielmi Friedrich. Praesto quoque erat praeter vetustiores editio Gallica nuper a Iulio Martha confecta.

ORATOREM recensenti non deest auxilium codicis optimi et satis antiqui Abrincensis (238), quem ducem inter primos habui in libris de Oratore relegendis, sed hic quoque turpiter mutili: nam habet tantum §§ 91-191, 231-238. Ex quo codice ceteros mutilos esse derivatos omnis satis probabiliter docuit Heerdegen, quos iure nostro negligere licet. Codicis autem Abrincensis (*A*)lectiones semper fere dedimus, neque tamen ita ut meros calami errores semper dignos esse putaremus qui exscriberentur. In hoc quoque libro textus codicis illius Laudensis iam pridem deperditi testis habemus codices Italos saeculo decimo quinto exaratos, quorum consensum siglo *L* iterum indicavimus. Ex quibus quattuor Stangl ducem secuti adhibendos esse duximus. De *FOM* iam supra docuimus: hic addendus *P* = cod. Palatinus 1469, quo in libris de Oratore usi sumus. Hic illic lectiones codicis Vitebergensis (*f*) a Friedrich collati exscribere placuit. Sed turbam codicum interpolatorum fas esse negligere putavi, qui si quis scire voluerit quot et quanta erraverint, adire licebit magnam copiam quam congescit Heerdegen vir strenuus. Sed si quid Itali satis feliciter correxerunt, id siglo *V* (= vulgata) notavi. Praeter ceteras iam commemoratas editionem Sandysi mei, viri doctissimi, numquam e manibus deposui, ex qua quantum fructus, dum iudicium illius bene subactum sequor, tulerim ubique patet.

DE OPTIMO GENERE ORATORVM libellus exstat in codice vetusto Sangallensi 818 (*G* saec. xi), quem unicum ducem

PRAEFATIO

sequi solent editores. Ceteros, quos excussit Friedrich, multo minoris esse preti iure ducunt, utpote decimo quinto demum saeculo scripti sint, et Italorum coniecturis interpolati. Nuper tamen demonstravit Hedicke non nihil fructus esse petendum ex codice Parisino 7347 (saec. xi), cuius ope fretus editionem peculiarem huius libelli dedit in programme (Sorav. Lusat.). Specimen dedit Chatelain, *Paléographie Latine*, pl. xx a. Testem hic illic cum siglo *P* adduxi. *f* = cod. Vitebergensis: quocum consentiunt fere ubique *r* = cod. Vat. Regin. 1841 et *o* = cod. Ottobonianus 1449.

PARTITIONES ORATORIAS praebent duo satis boni codices Parisini, saeculo decimo scripti: *P* = cod. Parisinus 7231 et *p* = cod. Parisinus 7696. Illo usus est Kayser: hoc primus Friedrich. Ceteri decimo quinto saeculo exscripti non sine fructu adeundi sunt. Erlangenses tres (*E* = *e*, *b*, *s*) contulit Stroebel, Redigeranum (*R*), Vitebergensem (*f*) post alios Friedrich, cui conlationem debeo.

TOPICORVM, quippe quae in aevo quod aiunt medio lectitata sint, plurima exstant exemplaria. Quorum unum quasi fontem repperit nuper Friedrich: is est *O* = cod. Ottobonianus 1406, saec. x, quocum saepius consentit cod. Vitebergensis (*f*). Alteram vero familiam ducunt codices Vossiani:—(*A*) = cod. Voss. 84, saec. x, (*B*) = cod. Voss. 86, saec. x, (*m*) = cod. Marc. 257, saec. x. Harum consentientem lectionem siglo *A* indicavit Friedrich. Praeterea notandi sunt Sangallenses (*b*, *c*, *d*) tres (830, 854, 818 saec. x, xi), Einsiedlensis (*a*) unus 324 (saec. x), Vossianus 70 (*V*): et alii plures. Hos omnes, si quando opus erat, cum siglo *codd. dett.* citare satis esse duxi. Indices nominum ad Brutum tantum et ad Oratorem seorsum addere commodius esse legentibus putavi.

A. S. W.

Mancini

Id. Feb. MCMIII.

BRVTVS

SIGLA

F = codex Florentinus Magliabecchianus

B = cod. Ottobonianus 1592

O = cod. Ottobonianus 2057 *O*² = vetus corrector

G = cod. Neapolitanus iv B 43

H = cod. Neapolitanus iv B 36

M = cod. Mutinensis vi D 6

L = consensus codicum *FBOGHM*

N = Venetus prior (Ellendt) Nannianus

D = Parisinus 7704

codd. dett. = codices inferioris notae, sive omnes sive plures

vulg. = vulgata lectio

M. TVLLI CICERONIS

BRVTVS

CVM e Cilicia decedens Rhodum venissem et eo mihi¹
de Q. Hortensi morte esset adlatum, opinione omnium¹
maiores animo cepi dolorem. Nam et amico anisso cum
consuetudine incunda tum multorum officiorum coniun-
5 ctione me privatam videbam et interitu talis auguris digni-
tatem nostri conlegi deminutam dolebam; qua in cogita-
tione et cooptatum me ab eo in conlegium recordabar, in
quo iuratus iudicium dignitatis meae fecerat, et inauguratum
ab eodem, ex quo augurum institutis in parentis eum loco
10 colere debebam. Augebat etiam molestiam quod magna 2
sapientium civium bonorumque penuria vir egregius con-
iunctissimusque mecum consiliorum omnium societate
alienissimo rei publicae tempore extinctus et auctoritatis
et prudentiae suae triste nobis desiderium reliquerat, dole-
15 bamque quod non, ut plerique putabant, adversarium aut
obtrectatorem laudum mearum sed socium potius et con-
sortem gloriosi laboris amiseram. Etenim si in leviorum 3
artium studio memoriae proditum est poetas nobilis poeta-
rum aequalium morte doluisse, quo tandem animo eius
20 interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius quam
omnino adversarium non habere? cum praesertim non
modo numquam sit aut illius a me cursus impeditus aut

10 augebat *vulg.*: augebam L
quo L: quo ego *Stangl*

19 morte L: mortem *Lambinus*